

cedente,
verticale
inem us-
vatum et
n articu-
ltæ dor-
ra: plen-
enta ab-
ibus ple-
viter ci-
udinales
atae. —

North America P. II.) consulenda est, et de *Helomyzidæ* in actis entomologorum Silesiae (Zeitschrift für Entomologie, Jahrgang 1859.) satis docui. *Chloropes* demum, postquam prima harum centuriarum apparuit, in iisdem actis (Zeitschrift für Entomologie 1866) in minora genera divisæ; ut vero aequabilitas quaedam servaretur, in reliquis centuriis à genere dividendo abstinui; sed in decimâ non tantum singulis *Chloropum* speciebus ea genera adscripti, quibus quaque inscrenda esset, sed etiam in indice generali indicavi, ad quæ genera species in prioribus centuriis decriptæ pertinerent.

Sunt praeterea nonnulla genera, quæ aut prius aut aliis locis condideram. Fortasse non erit inutile commemorare, quæ sint ea et ubi constituta sint.

Itaque *Triglyphus* constitutus est in Okenii Iside (Isis von Oken) 1840;

Arthopeas in Ephemeridibus entom. Stetinensis (Stettiner entom. Zeitung) 1850;

Bolbomyia in Loewii Fauuâ succino inclusâ (Der Bernstein und die Bernsteinfauna) 1850;

Synamphotera in Giebelii Annalibus scientiae naturalis (Zeitschr. f. d. gesammten Naturwissenschaften) 1856;

Cacoxenus in Entomologicis mensuris Vindebonensis (Wiener entom. Monatschrift) 1858;

Stilpon in Loewii Supplementis novis (Neue Beiträge Thl. IV.) 1859;

Rhincocæsa in Ephemeridibus entom. Berolinensis (Berliner entom. Zeitschrift) 1865.

Rhachiceri genus, quod Halidajus condidit et Walkerus in Dipterorum catalogum (List of Dipterous Insects) recepit, nusquam quantum scio, notis certis stabilitum est. Sed ab omnibus *Xylophagidarum* generibus facile eo distinguitur, quod tertius antennarum ejus articulus non modo annulatus est, sed etiam annulis bene inter se discretis constat, ac numerus horum annularum in mare major est quam in foeminâ et numerum, quem reliqui *Xylophagi-dæ* in articulo terminali exhibit, longe superat. Quum Rhachiceri species in Europâ quoque detecta sit, alio loco copiosius de hoc genere agam.

In duobus generibus ea nomina secutus sum, quibus plerique auctores usi sunt aut utuntur, quum tamen alia secundum vetustatis legem revocanda sint. Itaque pro *Anthophilinâ Anthomyza*, pro *Platypalpo Tachydromia* dici debebat. Quâ vero de causâ nominis